

Q. N. 126, H.

X 23 M 211

Yc  
322

DE  
SCHOLAE IENENSIVM SENATORIAE  
FORMA  
COMMENTATVS



SECVNDI  
PRIMO IN ORDINE ALVMI  
IVVENIS POLITISSIMI


CHRISTIANI GVILIELMI  
PHOENI

VLTIMAM  
QVA OMNES AC SINGVLOS VALERE IVBET  
ORATIONEM  
INDICIT  
AD EAMQVE EXAVDIENDAM  
PEROBSERVANTER INVITAT



M. IOANNES GERARDVS PAGENDARMIVS

AMPLISS. PHILOSOPH. ORDIN. ADIVNCTVS  
AC SCHOL. IENENS. SENATOR. RECTOR.



IENAE  
LITTERIS MARGGRAFIANIS.  
I.

DE  
SCHOLAE IENNENSIVM SENATORIAE  
FORI  
COMMENTARIVS  
PRIMO IN ORDINE ALVNI  
IVVENS FORISSIMI

CHRISTIANI GYLLII




ORATIONEM  
AD OMNES AC SINGULOS VALERE IUBET



M. IOHANNES GERARDVS BAGENBARTHVS  
LITTERARIVM ORDINIS AUSTRIACVS  
AC SCHOLAE IENNENSIS SENATOR RECTOR

IENNAE  
LITTERIS MARCOVALIANIS





**D**

imittimus hodie nostra e sodali-  
tate, e Schola Ienensium Sena-  
toria, utut aegerrime, *Polemonis*  
more Iuuenem Politissimum,  
CHRISTIANVM GVILIELMVM PHOENVM,  
*Numburgo* oriundum, Primi Ordinis Alumnaum,  
ac numero quidem secundum, tanquam alterum  
*Crantorem*. Is, in quantum praeter publicam  
aeque priuatamque priuatissima quoque nostra  
institute toto sese usum esse quadriennio, gra-  
ta mente recordatur: sic et haud nescit, quo-  
tiescunque de Excellentissimi BIDERMANNI  
A 2 libris,

IV DE SCHOLAE IENENSIVM

libris, praeter alia praeclara scripta etiam *Acta scholastica* prae se ferentibus, Eclogationum instar nos inter loqueremur. Qua data facultate saepenumero et postremum etiam atque etiam quamuehementissime me rogauit, *DE SCHOLA IENENSIVM SENATORIA* nonnulla commemorabilia ut commentarer, quorum haud dubie postea temporis mentio fieret his aureolis in *Actis*. Vocem populi, teste ASCRAEO, uocem Dei esse, nouimus; quidni et tum uocem discipuli, Scholae populo annumerati, eandem, putares, habendam? ubi simul in mentem inciderunt nomina excellentium Virorum, eorumque permultorum, ab eo tempore, ex quo Scholae huic praeesse incepti, qui eadem de causa epistolis suis me petitoriis uelut obtuderant. Quorum omnino omnium mens eo in primis uertitur, palam ut fiat, hunc talem conatum minime displiciturum et aliis, qui uariis et eis remotissimis ex regionibus ad nos modo confluerint, modo confluant studiorum excolendorum ergo, eaque perspiciendi, quae ad ciuitatis nostrae statum maxime specialem pertinere uideantur. Quae et causa est, cur, a me impetrari, patiar, in campum ut introeam, animus ubi excurrat,

andil

2 A

et

et calamus ea, quae ad nostram faciunt, scholam, exprimat, quantum fieri possit. Noli autem a me *Historiam Scholae huius, numeris absolutam omnibus*, expectare, cui scribendo humeros meos longe impares, uel ideo credas, quod fontes sat idonei nondum sunt inuenti, nedum aperti, unde necessaria, quae et utilia consilio meo destinato sint, haurienda, arbitreris. Quicquid M. T. CIGERO (en! qualis et quantus Vir) a M. COELIO, Amico suo integerrimo, quem in sui admirationem attraxerat totum, sibi expetit, eius ex litteris cum *formam* Rei publicae uiderit, quale *aedificium* futurum sit, ut sciret, id a me, minima cum maximis conferente, tantum in praesens expecta, uidelicet *Formam Scholae Ienensium Senatoriae*. Oculis, mentis, nisi corporis, ex parte illam intuere, ac cognosces haud difficulter, sub auspiciis Dei Numinis, abs quo uitam ac sanitatem firmam infirma mea in senectute precibus ardentissimis flagito, quale *commentationis* meae eadem de ipsa *aedificium* deum sit futurum.

Quodsi *praefandi*, quodsi et *concludendi*, formulas praetermittere, mihi esset in animo, haberem saltim *capita*, numero *duodecim*, in

A 3

quibus

quibus argumenta uarii generis deducta com-  
 parerent. Nihilō secius *praefabor* de schola-  
 rum, sic et *NOSTRAE CONTEMPTU*, morbo po-  
 tiorum Litteratorum quid? potiorum Pa-  
 rentum epidemico, rationes haud postha-  
 biturus sufficientes, hoc loco tot tantosque  
 Scholae nostrae contemtores ostendendo, qui in  
 apologis, Scholarum ludibrio inueniendis scri-  
 bendisque, non minimum operae ponere con-  
 sueuerunt. Sunt, quod et demonstratum ibo,  
 et hi, qui apologorum suorum quasi inuolucris  
 et integumentis complectuntur aliquid, quod  
 postea temporis, ridicula interpretatione ex illis  
 euolutum, docentibus in Schola contemptu esse  
 debet. Quorsum alias *Oratio mea Ligata de la-  
 mentabili Scholae Ienensium Senatoriae Statu*,  
 quadriennio abhinc in *Examine publico* habita,  
 alias *Ode lugubris a Collegio Scholae huius*, me  
 interprete, *Manibus Hellbachianis* nuper admo-  
 dum dicata, multum adiumenti praeberent. *Ca-  
 pite primo LOCI* habebitur ratio, ubi *Scholae  
 Aedificium*, in quo floridae iuuentutis sit insti-  
 tutio, exstructum uel exstitit, uel exstat, liqui-  
 dem alium ante repurgati cultus diuini tempora  
 locum, alium deinceps fuisse, *Historiarum pro-*  
 pter

*pter Salam* monimenta abunde testantur, ego autem aliud eius aedificium in praesens uideo, quam saeculo proxime praeterito utroque, si adesse mihi contigisset, certe ac certo uidissem. Ita et, ubi sese occasio offert, mihi erit discutiendum, utrum quondam hoc loco, ut alibi, sicut ECCARDVS apud GOLDASTVM meminit, duum generum Scholae fuerint, quarum alterae interiores, alterae exteriores, dictae, nec ne? *Capitis secundi* haec erit ratio, ut ostendam, DOMINOS huius Scholae ac NVTRITORES quaerendos in LINEA SERENISSIMORVM SAXONVM MISNIENSIVMVE ERNESTINA, quorum ducem et auctorem statuendum esse, IOANNEM CONSTANTEM, ERNESTI Electoris Filium, natu alterum, quem omnes, qui sub idem tempus vixerunt, sui aequales, omnes nominis sui ferentissimi fama summum in modum percitos, tanquam e caelo delapsum, intuitos esse, uel ex IO. SEBASTIANI MÜLLERI *Annalibus*, uel ex IO. ROSINI *Vitis Electorum*, uel ex L. B. VITLUDOVICI a SECKENDORF *Commentario Historico et Apologetico, pro Lutheranismu aduersus LUDOVICVM MAIMBURGIUM* scripto, luculen-

lenter constabit. *Capiti tertio* est destinata commemoratio *Ephorum* maxime Spectatissimorum, quorum potiores in *Litteris meis* <sup>ἐπιγραφῆς</sup> haud ita pridem recensui ex *Catalogo*, quem Amicus meus Honoratissimus, IO. ALBERTVS OEDENBRVGHIVS, *Praefectus ac Scriba in Aerario sacro Dignissimus*, pro sua singulari humanitate, et, quae eius fuit liberalitas, mecum communicavit. Et bone Deus! in quantum dicendorum Labyrinthum ingrediar de Viris hisce, qui et stupendae doctrinae et scriptorum solidissimorum et vitae illibatae fama maxime conspicui fuerunt. In primis enim dicere liceret, unicuique eorum scholae huius regendae, uti naui, clauum esse commissum, qui, non imperitia uel cupiditate aliqua, adductus, eam in scopulos ac syrtes impulerit, sed feliciter aduexerit in portum. Vix ac ne uix quidem, me uel iudice, ulla in scribendo cautio, ad Laconissimum accommodata, filii Ariadnes instar est futura, ui cuius, inde retrogredi commode, sit permillum. *Capito quarto* intrabo in templum publici consilii ac sedem ipsam, in nostrae Ciuitatis, uolui dicere, *CVRIAM*, ut ex sanctiori eius tabulario nomina repetam Consultis-

si.



fimorum atque eorum, qui forte scripta euulgarunt docta, Virorum, *Consulum*, *Syndicorumque* ac *Senatorum*, a quibus *Senatoria* compellari meretur Schola haec, quique hunc in diem *IVRE PATRONATVS* in eam masculè utuntur. *Caput quintum* continebit *Rectores* eruditionis, ac scriptorum fama, si me excipias, admodum Celebres, honoribus ac dignitate sensim paullatimque subsecutis ualde et post fata suspiciendos, ubi nonnullos, ut *CHEMNITIOS* ac *KLESCHIOS* post labores, in schola exantlatos, ad munus *Antifistis primarii*, et hoc et aliis locis admotos, alios uero *MVLLEROS* scilicet, *FRISCHMVTHIOS*, *REVSCHIOS*, *Professores* inter nostrarum *ad Salam Athenarum* doctrina multiplici *Eximios* pariter ac *Clarissimos* esse relatos, neminem litterato ex orbe, ut puto, fugere potest. Commentabor *Capite sexto de reliquorum ordinum praeceptoribus*, de *Conrektoribus*, quos in Catalogo allegato *die alten Schulmeister*, uti *Rectores die Schulmeister* nominatos, probe memini, et de collegis, qui, nemine excepto, honorifico *Baccalaureorum* titulo exornantur, longe plura, quae in praesens silentii peplo sunt operienda, hoc detracto,

B

cto,

cto, facillime repraesentaturus. Commentabor etiam *Capite septimo de Alumnis ac Discipulis*, eum in finem, modo de iuuenum natura et indole rite indaganda, modo de illorum alacritate dissoluta caute moderanda, modo de Virorum magnorum filiis, qui, et inter quos ciuilis instituti, ut dicuntur, pueri praeterito atque hoc currente saeculo, hoc eruditorum quasi seminarium frequentarunt, ac deinde, quod umbratili hac didicerunt institutione, in puluerem eduxerunt ac solem, copiosius differendi exoptata mihi occasio ut relinquatur. Commentari etiam licitum erit *Capite octauo de Legibus Scholae huius, doctoribus ac discipulis*, non prisca legum Atticarum scriptura latis, ex Diui gentium Doctoris mente omnia *κατὰ τὰς ἡμετέρας ἐπινοίας* quo succedant, sciantque docentes, quali pacto traditam curae suae gubernent iuuentutem, et informant, ac discentes, quid pietatis suae, sui quidque officii sit, haut ignorent. Pergam ad *Caput nonum*, in eoque ad *Lectiones* nostra in Schola per omnes ordines tractari fuetas, quas linguarum quadrigam, uernaculae, Latinae, Graecae atque Ebraeae ex parte, ex parte artium ac disciplinarum institutionem urgere, dilucide ostend-

ostendam. Faciam et simul, quod laudi procul dubio nobis, et apud alienigenas praeceptoribus ducetur, palam, omnibus ac singulis in classibus fundamenta fidei, quam fatemur, Euangelicae, in aeternae monumentis sapientiae asseruata, alternis, nisi singulis, singularum hebdomadam diebus summo candore ac studio tractari. *Capite decimo de Rebus Scholae huius differam, uti* B. a MELLE, immortalis iste Lubecensium *Praeco, Polybistorque ac Polibistor* iuuenes senesque inter mortales, quod dicere ausim, insanum doctus, quem ante quinquennium mors eheu! maximo rei litterariae ac Patriae damno mortalibus eripuit, de *Rebus* egit *Lubecensium* in libro, nil circinulis fucoque conspersum, sed grauitatis prudentiaeque plenissimum habente. In quarum numerum congregasse illum, nouimus, libros Patriae singulares, aliaque illius ornamenta, siquidem et nostra in Schola libros, ceteraque, nisi ornamenta, non tamen, ut TACITVS loquitur, dehonestamenta, asseruata dignissima, conspicamur. Elaborabo aliud demum *Caput, undecimum* scilicet, quo *Consuetudinum* enarratio continebitur, qualium haud exigua seges apud nos est fata, qualesque cunctae cunctis aliis

in scholis nequaquam, ut arbitror, introductae sunt, uel paulatim serpere ac prodire coeperunt. Visne unam alteramue, quae, a finiti belli triennalis, nisi a restauratae fidei temporibus, hac in Schola inualuit praesciscere? Sufficiat, non ignorasse istam sollemnitatem, quam bis annis singulis singularium classium Alumni sponte sua celebrant, ubi ab uno, illorum comitatu stipato, *Martini et Lupercalium* diebus, seu, uti Seruatori addictis loqui mos est, *Ieiuniorum*, Praeceptoribus singulis, laeta oratione clara uoce praemissa, munusculum, non tamen semper leuidense, affertur offerturue. *Vltimum Caput* erit *duodecimum*, a *Singularibus*, quae apud nos accidunt, denominandum, quamquam, si quis cum Summe Reuerendo *a Seelen* in *Historia Athenaei Lubecensis* ea sub titulo *Memorabilium*, mallet, exstare, mihi esset perinde. Ad extremum *Conclusio* subiicietur, quam bonam fore, precor, secundum dictum uulgare: *Omnia tum bona sunt, clausula quando bona est*, de meorumque Collegarum *Vita*, in Schola, *omni iucunditate haud plane destituta*, non commentaturus temere, ac *Supplementorum*, si qua reperientur, subiiciendorum rationem habiturus.

Hanc


Hanc esse istam huius Scholae *FORMAM*, qua hodiernus dudum sit captus Orator, animadvertit profecto, qui huius meae *Commentationis* initia perlegere non grauat. Sicuti autem hunc nostrum Oratorem eo uel nomine permultum apud me ualere, haud eo infitias, satis superque factus certior ab eo, sese ipsius *aedificii* exstruendi expectatione ualde torqueri: eundem ad modum nunc meas esse partes, opinor, paullo specialiora, paullo curatiora de illo meo Auditore ac Discipulo hoc loco effari. Agnoscit Patriam *Numburgum*, nobis uicinum, ubi a Parentibus Honestissimis procreatum, ad Idus Quintileis Anno huius saeculi tricesimo lucis usura frui incepisse ipsum, Idibus uero ipsis in Templo *Sancti*, ut dicitur, *VENCESLAI* sacro fonte initiatum, iterum iterumque mihi ingenue est fassus. A Parentibus hisce suis, qui lenam biennio post abierunt, simul ac deinde aliquot anni essent praeterlapsi, in Scholam nostram est deductus, id quod non satis harum, quae circumstant, rerum intelligentes laudare possunt. Nam, ne autumes, uelim, ipsius nostri *PHOENI* Parentes corui naturam imitari, quem tam *ἀσπερον* esse avem, perhibent, pullos suos ut ne curet

alatae, qua ceterae aues, diligentia, sed uix exclusos deserat, nido eiiciat, immo tota expellat regione, cogatque remotioribus locis, unde uitam sustentent, parare: sic et ipsos huius mei discipuli parentes esse, qui Filii sui alendi educandique nullam vel minimam gerant curam. Falsa haec, scimus, quia sciuerunt ipsi, a teneris rite recteque formandum filium, qui mollissima tanquam cera nanciscatur magistrum, erudite pium, fide optima animo cereo pietatis praecepta imprimentem; tum ipsa in uirtute ac doctrina breui progressus faciat, uel uoto maiores, atque HELENA uel NIREO formosior, uti FLACCVS canis, existat. Sed & haec sunt, quae sibi duxit palmaria, quod statim ab ineunte aetate earum, quae postea in ipso exstiterunt, uirtutum non adumbrata sed expressa signa dare quiuerit, sapientia diuina adiutrice. Addo, & quod in promptu est, in Schola hac LANZENBERGERS, LOHMANNOS, VOELKEROS, HELLBACHIOS, CRAVSIOS, HALLBAVEROS, si a me discesseris, lucratum esse illum praeceptores idoneos, quorum uita et bonis probata, et sapientibus doctrina. Multa a me dicenda essent de ipsius modestia, quam apud nos sibi magnopere habuit

habuit commendatam ad altissimi fluminis instar, quod minimo sono labitur, ac spicae modo, quae granorum multitudine grauis est, et aristis inclinatis ad terram uergit. Nequaquam est nostrae Scholae in orbe, quod insolentiae cuiusdam me redderet suspectum, si dicerem, discipulum hunc meum, quod ad preces ac labores attinet, nauis egisse gubernatorem, in clauo manum, oculos in astris habentem, itaque per medios maris fluctus transeuntem, portum, ad quem tendat, inuenire. Id tacitus nulla praetereire queo ratione, ipsum si agro conferam, culturam non indiligentem poscenti, laetamque cultus cultori suo segetem spondenti, et opimam messem, nil me absoni, nil *ἀπροσδιονύσας* in medium proferre. Ingenium enim ipsius pingue, postquam industriam manum, uocemque desiderauit praeceptorum suorum, qui pietatis, qui artium, qui linguarum sparserunt semina, ceu benignius solum fructus et uberes ferre ac salutare uidetur, a Republica maiori copia tandem aliquando metendos percipiendosque.

Non futurum est, ut olim me poeniteat, intercapedinem eius, ex ueritatis norma laudandi, fecisse, ad VOS, O! PATRONI, O!  
MV-

MVSARVM FAVTORES, et ad VOS,  
 O! AMICI, totum precibus uersum, uelitis  
*Iuueni huic Politissimo* inter dicendum Vale *de*  
*Interitu bonarum artium, Lutheranismō temere*  
*imputato*, sine inani uerborum intemperie, sine  
 coloribus pictis, nec sparsis honestarum magis  
 quam utilium sententiarum flosculis dicenti aequis  
 animis, aequisque auribus adesse. Velitis, obsecro,  
 ultimam ipsius orationem, neruorum uel pluri-  
 mum, suauitatis uel minimum, fouentem, ulti-  
 mos, aio, eius hac in Schola labores firmissimis  
 Vestri fauoris et amoris columinibus, prout spe  
 haud insipienter is nititur, fulcire, fulciendo  
 munire, muniendo sustentare. Dabam *Ienae*  
 ad Diem IX Calendas Octobreis,  
 A. G. R. clō Id cc xxxviii.



M.C.




Yc  
322

x 23 M 2 M

Q. N. 126, H.

DE  
SCHOLAE IENENSIVM SENATORIAE  
FORMA  
COMMENTATVS



SECVNDI  
PRIMO IN ORDINE ALVMI  
IVVENIS POLITISSIMI


CHRISTIANI GVILIELMI  
PHOENI

VLTIMAM  
QVA OMNES AC SINGVLOS VALERE IVBET  
ORATIONEM  
INDICIT  
AD EAMQVE EXAVDIENDAM  
PEROBSERVANTER INVITAT



M. IOANNES GERARDVS PAGENDARMIVS

AMPLISS. PHILOSOPH. ORDIN. ADIVNCTVS  
AC SCHOL. IENENS. SENATOR. RECTOR.



IENAE  
LITTERIS MARGGRAFIANIS.

I.

